

## T I T. V.

## De Reliquis Delictis Ecclesiasticis.

## C A P U T I.

## De Sortilegis Magnatis &amp; superstitionis.

1 Sortilegium dicitur à sorte, soletque accipi in malam partem nimirum pro susperstitiosa, & magica divinatione, qua quis futura, aut occulta, vel omnino incerta prædicere, aut cognoscere vult ex aliquibus signis, quæ ad ea cognoscenda, aut indicenda nec à natura, nec à Deo instituta, vel ordinata sunt.

2 Juxta S. Isidorum: *Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ Religionis per quasdam, quas Sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt. c. 1. XXVI. q. 1.*

3 Sortes illæ divinatoriæ, utpote nullam vel naturalem, vel supernaturalem vim habentes ad occulta illa, ac mere contingentia, & plane ab incerto eventû dependentia manifestanda merito susperstitiosæ divinationes, & maleficia reputantur, & ut talia jam pridem eas reprobavit Leo IV. in epistola ad Episcopos Britanniæ: *Sortes, ait, quibus cuncta vos in vestris discriminatis judiciis (quod Patres damnaverunt) nihil aliud, quam divinationes, & maleficia esse decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter christianos ultra nolumus nominari, & ne exercentur, sub anathematis interdicto prohibemus. c. 1. XXVI. q. 5.*

4 Natura sortilegii, seu sortium, prout eæ adhibentur ad cognitionem, sive manifestationem futurorum, vel occultorum, ad quem effectum nec ex natura sua, nec ex ordinatione Dei virtutem habent, probat intervenire maleficium. Nam si cultus divinus, vel id, quod soli Deo competit, exhibetur, aut tribuitur creaturæ, dicitur susperstitio cultus indebiti, ut loquuntur Theologi post S. Thomam (a), ubi etiam, si cognitio futurorum contingentium, vel manifestatio omnino occultorum, quæ soli Deo competit, petitur à rebus ad eam manifestationem nec à natura, nec Dei ordinatione institutis, transfertur quidam Dei, cultus, vel Dei

(a) D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 3.

Dei proprietatis ad creaturam. Ac propterea sortilegi etiam Divinatores, tanquam divini aliquid præferentes, dicti sunt.

5 Cum sortes; sive signa adhibita ad futurorum, & occultorum cognitionem nullam ex se, aut à Deo virtutem habent: ideo sortilegium solet continere expressum, vel tacitum pactum cum dæmone, à quo mediantibus illis signis futurorum, & occultorum scientia expetitur.

6 Eisdem signis, quibus utuntur sortilegi ad prædictionem futurorum, etiam utuntur ad nocendum, & tunc proprie malefici dicuntur ob facinorum magnitudinem, ut loquitur l. 5. Cod. de Maleficis. Sicut autem varia sunt signa, quæ adhibentur ad præstigias, fallacias, aut maleficia exercenda, ita varix sunt sortilegii, aut maleficii species, sortiunturque varia nomina à diversitate signorum.

7 Inter laxiores opiniones recentiorum Casuistarum legitima censura rejecit & has, quæ artes magicas, aliasque susperstitutiones à vitio excusabant, si ad bonum finem referrentur. Declaravit ann. 1398. facultas Theologica Parisiensis (a), eos falli, qui credunt licitum, uti ad bonum finem arte magica, aliisque susperstitutionibus, quas Deus, & Ecclesia damnant. Hinc & addit, sine errore sustineri non posse, *quod licitum sit, etiam permittendum, maleficia maleficiis repellere.*

8 Id ipsum expressit Rituale Romanum? *Aliqui (dæmones) ostendunt maleficium, & à quibus sit factum, & modum ad illud dissipandum. Sed caveat, ne ob ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quam Ecclesia ministros, confugiat, aut alia susperstitutione, aut alio modo illicito utatur.*

9 Vitio quoque corruptionis, infirmitatisque humanæ dæmones prodesse censentur, quando nocere desinunt. Hæc præjudicia in veteri Gentilismo tam diversas species idololatriæ peperunt, quarum nonnullas & ipsi Romani in veteri susperstitutione proscripserunt. Refert Paulus Jurisconsultus (b), capitali pœna luisse, *qui de salute Principis, vel summa Reipublicæ respondissent.*

10 Principes Christiani, proscripto Idolorum cultu, in classem criminis publici rejecerunt artes magicarum divinationum. Inquit Constantius Imp. *Nemo Auspicem consulat, aut Mathematicum, nemo Ariolum, Augurum, & vatium pravat confessio conticescat &c. Et enim ultore gladio prostratus, supplicio capitis ferietur, quisquis jussis nostris obsequium denegaverit.* Refert. l. 5. C. de Malefic.

Et

(a) Fac. Paris. art. 5. &amp; 6. (b) Paul. sent. 6. tit. 21.



11 Et infra: Multi magicis artibus usi (aliqui legunt ausi) elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant, & manibus accitis, aulent ventilare, ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos: hos, quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis absumat: utpote feralem pestem vivicomburium interpretantur. L. 6. C. de Malefic. & ibi Gothofr.

12 Juxta legem Constantini M.: Eorum est scientia puniendi, & severissimis merito legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut contra salutem hominum moliri, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse deteguntur. Nullis vero criminationibus implicanda remedia humanis quæsitâ corporibus, aut in aggressibus locis innocenter adhibita suffragia; utpote quia vel naturalia sunt, vel per simplicitatem à crimine publico excusantur. L. 4. C. ibi.

13 In Oriente tamen Leo sapiens hanc conniventiam legis missam fecit. Sane vero, inquit, si quis aliquo modo incantamenti usus esse deprehensus fuerit; sive id restituendæ, conservandæve valetudinis, sive avertendæ à rebus frugiferis calamitatis causa fecerit, is Apostatarum pœnam subiens supremum supplicium sustineto. Refert. Nov. Leon. 65.

14 In Occidente per regna, & sæcula barbara sat vulgaris fuit opinio, nosse, & posse homines, quos tempestarios, magosque dixere, per incantationes, aliasque artes grandinem in messes, & vineas mittere, aliaque mala hominum corporibus, & bonis per malos spiritus vel inferre, vel ab iis auferre. Vetant Capitularia (a): Ut nec Calculatores (forte Calculatores) nec incantatores, nec tempestarii, nec obligatores fiant. Et ubicunque sunt, emendentur, vel damnentur.

15 Ex his elucet, ex veteri paganismo satis diu superfuisse divinationum, aliarumque magicarum superstitionum genera, quæ & animis Christianorum nonnunquam altius, prohdolor! insiderant. S. Augustinus quatuor eorum genera recenset. c. 1. XXVI. q. 3. & 4.

16 Ex sententia S. Augustini. Superstitiosum est, quidquid institutum est ab hominibus ad faciendâ, & colendâ idola pertinens, vel ad colendam, sicut Deum, creaturam, partemve ullam creaturæ, vel ad consultationes, & quædam pacta significationum cum dæmonibus placita, atque federata, qualia sunt molinina magicarum artium, quæ quidem commemo- re potius, quam docere aolent Poetæ &c. Refert. c. 6. ibi q. 2.

17 Quid salubrius, quam quod hos malarum artium secta-

(a) Capit. Franc. lib. 1. cap. 62.

tores Ecclesia foro pœnitentiæ subdiderit, aut per censuram à communionem ejecerit? Supersunt in Decreto Gratiani sat amplo numero veteres auctoritates. c. 1. &c. ibi q. 5.

18 His exemplis & novo jure pœnitentiæ quadraginta dierum ei decernitur, qui per sortilegium de alienis satis omen capit. c. de Sortil. Alexander III. Presbyterum, qui per inspectionem Astrolabii furtum, quod Ecclesiæ evenit, indagare voluit, per annum à beneficio suspendit, licet per simplicitatem fecisset. c. 2. ibi.

19 Ecce vetera, novaque argumenta ad id genus criminis perstringendum! Forum justitiæ civilis imperii decrevit in illud penas corporales. Forum pœnitentiæ proprium est Ecclesiæ ad ferendas spirituales censuras.

20 Est utriusque judicis in ea causa discrete procedere, quia certum est, multa frequenter diabolicis artibus adscribi, quæ vel naturales causas habent, vel nonnisi phantastica sunt hominum figmenta. Ita jam à pluribus observatum est, illis sæculis, illisque regnis, quibus persuasum fuit, magiam veram esse artem, exundasse reorum numerum, quorum crimen ignorant sæcula, & regna, quæ vitium in somnia, & deliria rejiciunt phantasmatis. c. 12. XXVI. q. 5.

21 Quidquid vero reliquum est, recidit ad curam Pastorum, ut frequenter, & sedulo populum commoneant, quo sibi à talibus veteratoribus, impostoribus, & deceptoribus, tanquam diaboli vere ministris caveant, has impietates, & abominaciones committentibus per occultam operationem malignorum spirituum adversus Deum, & proximum, utque insuper horreant, & detestentur enormia talia peccata, quæ nonnisi ex inventione diaboli (ut dictum est) ortum habent, universi generis humani inimici, quocunque obtentu fiant, Divinationis, Magiæ, Mathematices, Astrologiæ, Pregnostici, Physiognomiæ, Negromantiæ, Chiromantiæ, aut alio demum quocunque titulo quamlibet specioso.

22 Nihil vulgarius, quam quod titulus pietatis jactetur, ut vel nonnullis piis cedulis, vel sacris verborum formulis, aliisque linteis, & ligaturis virtus, medendi morbis, avertendique grandinem tribuatur. Quum quidem his rebus nec ex natura sua, nec ex auctoritate vel divina, vel humana cum illo effectu ulla proportio sit, constat, eas esse superstitiones, quibus Deus tentatur potius, quam invocatur, quis fere, ad quotidianum miraculum his nugis provocatur. Pudentque historias: quasi vero historiæ esse nequeant sæpe fabellæ & exempla mendacia; aut vero sint & exempla, & his-



torix. Ideo eis quisque credere non debet, quia aliquando eveniunt — quia hoc permissu Dei fit, ut ipsi, qui hæc audiunt, vel vident, præbentur, & appareat, qua fide sint, & devotione erga Deum. Refert. c. 14. XXVI. q. 5.

23 Missis vanis obtentibus præcipit Concilium Tridentinum (a), ut Ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, & e medio tollere sedulo curent, ac teneantur, quæ superstitione veræ pietatis falsa imitatrix, per certum candelarum numerum ad celebrationem missarum, vel per alias formulas, & caerimonias ad invocationem Sanctorum, & Reliquiarum venerationem, aut cultum SS. Imaginum, privato arbitrio induxit.

24 Absit, ut tam æquis Decretis quisquam utcumque clanculo detrahere posset, nisi aliquando studium turpis quæstus indiscretiorem zelum animaret, ut nonnulli clament, religionem Sanctorum lædi, eoquod proventusæ quædam superstitiones expungantur. Sic & contra S. Paulum Ephesi clamabat Demetrius (b): Viri! scitis, quia de hoc artificio, & sacrificio est nobis acquisitio.

25 Hac occasione recentioribus sæculis & raruere Exorcismi. Olim inter gentiles multi fuere dæmoniacy & ut Christiani ostenderent, quam contemnenda esset potentia dæmonis, Exorcistarum munus infimi Ordinis ministris concessere. Hodie eo munere funguntur Presbyteri (c); nec alii nisi speciali mandato Episcopi instructi, quia raro dantur energumeni, & nonnunquam imposturis ludere solent homines.

Cap. 2.  
De Delict.  
carn.

26 S. Apostulus incestuosum Corinthium Satanæ (d) tradidit in interitum carnis, ut Spiritus per poenitentiam salvus sit, in die Domini nostri Jesu-Christi — & infra: Nunc autem scripsi vobis, inquit, non commisceri: si is, qui Frater nominatur, est fornicator — cum ejusmodi nec cibum sumere, ut criminis pudore salubriter suffundatur ad poenitentiam agendam.

27 Inter hæc carnis crimina vulgatus, & perniciosius apparet adulterium, quod inde omnes gentes, veluti opprobrium naturæ abhorruerunt. Ait Ulpianus (e): Adulterium natura turpe est. Refert. L. 42. ff. de Verb. signif.

28 In foro justitiæ veteres leges civiles adulterium, veluti crimen publicum capitali supplicio addixerunt, ita, ut nec ei indulgentia Paschalis, quæ minorum criminum reis ob-

(a) Trid. Decret. de observ. & evit. in celebr. Miss. (b) Act. cap. 19.  
(c) Regul. Inst. Eccl. p. 1. cap. 6. (d) 1. Cor. 5. (e) De Adult.

solemnitatem festi dari solebat, suffragari posset. L. 7. C. Th. de Remiss. Crim.

29 Justinianus inter adulterium, & adulteram diversitatem poenæ statuit. Præcipit enim, ut adultera, virginitatem subacta, in monasterium mitteretur, perpetuam poenitentiam ibi actura, nisi infra biennium eam maritus inde repetere voluisset. Auth. sed hodie ad L. 30. C. ad Jul. de Adult.

30 Est alicubi & hodie huic legi locus; sed minus conveniens, quia Monasteria passim desierunt esse loca poenitentix, ut non posset non grandi periculo seductionis, & infectionis vacare, quod adulteræ, aut corruptæ alias foemine in consortium honestarum, & piarum virginum ablegarentur. Consultius ergo procul dubio est, ut peculiare domus ad simile mulierum genus recipiendum, recludendumque sub aptis directoribus, & directricibus assignentur.

31 In foro Ecclesiæ differentia delicti inter adulterum, & adulteram haud habebatur. Ait S. Ambrosius: Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est: nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab uxore, debetur castimonia. Quidquid in ea, quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii crimine damnatur. Refert. c. 4. XXXII. q. 4.

32 In veteri ordine poenitentix canonicæ Mœchia inter crimina canonica refertur, adeo, ut nonnulli Africæ Episcopi, rigore poenitentix Mœchis totum locum veniæ clauserint. Inquit S. Cyprianus (a): Quanto multo gravior, & pejor est Mœchi, quam libellatici, causa? Cum hic necessitate, ille voluntate peccaverit: hic existimans, sibi satis esse, quod non sacrificaverit, errore deceptus sit: ille, matrimonii expugnator alieni, vel lupanar ingressus — sanctificatum corpus, & Dei templum detestabili collusione violaverit.

33 Ecce Decreta veteris poenitentix! S. Basilius (b) Mœchis quindecim annos præscripsit. Juxta Concilium Ancyranum (c) adulterum, & adulteram oportet per septem annos poenitere. In Concilio Nannetensi (d) decretum est, ut, si conjugatus solutæ, aut soluta conjugato cohæsit, adulter septennalem, solutus quinquennalem poenitentiam subeat. Venterum horum Canonum notitia valde salubris Confessariis, & Pastoribus est, ut poenitentes de enormitate criminis moveant. Ep. Van-Espen. T. II. Rr ne-

(a) S. Cypri. ep. 52. (b) S. Basil. cap. 7. & c. (c) Conc. Ancyr. cap. 29.  
(d) Concil. Nanaet. cap. 13.



nere, ipsisque pro personarum, temporumque, & qualitate peccati salubres pœnitentias imponere queant.

34 S. Carolus horum Canonum exemplo, quos singulis Decalogi præceptis subiecit, pœnitentiam eo ordine moderatur, ut, si quis maritus semel lapsus sit, pœnitentiam agat quinque annis: si sæpius mœchatus est, in fine mortis est conveniendus: sique promiserit, se cessaturum, dabitur ei *communio*, utpote juxta veterem phrasim reconciliatio.

35 Novo jure adulterium censetur esse crimen ecclesiasticum. *Arg. c. 1. de Offic. Jud. Ordin.* Hodie sat frequens ea est utriusque potestatis divisio, ut crimen, quoad separationem thori, foro ecclesiastico relinquatur: in ordine vero ad supplicium, aliasque mulctas, & pœnas sibi forum sæculare vindicet. In Germania, in nemesi Carolina (a) adulterium capitale est crimen, alibi tamen simplici mulcta, aut fustigatione percellitur. Concilium Tridentinum (b) præcepit, adulteros, & concubinos contumaces excommunicandos, & extra Diœcesin ejiciendos esse. Sed alibi notatum fuit, hanc adulterorum ejectionem extra oppidum, & Diœcesin sapere relegationem, quæ proprio jure haud competit potestati ecclesiasticæ.

36 Adulterium uxoris marito maximo vitio est, si ex delicto uxoris quæstum parat, aut lucrum, quia hoc facto crimen lenocini (c) contrahit. Juxta leges civiles pœna adulterii in maritum statuitur, qui de adulterio uxoris suæ quid receperit, item in eum, qui in adulterio deprehensam retinuerit. *L. 2. §. 2. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Non tamen semper arguendus est maritus, qui adulterium uxoris dissimulat. Ubi enim adulterium uxoris est occultum, nihilque de eo habetur in ore, & notitiâ præter vulgi incertam suspicionem, quam maritus sua prudentia facile tegere, suppressereque potest, eo casu maritus uxori, condonato, vel dissimulato delicto, cohabitans, nequaquam lenocinii reus habetur. *L. 17. C. ibi.*

37 Ait Ulpianus: qui quæstum ex adulterio uxoris suæ fecerit, plectitur. *L. 29. §. 3. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Justinianus reliquos lenones exilio, & multis coercet. *Nov. 14. Nemesi Carolina (d)* civiles leges instaurat.

38 Juxta Decretum Concilii Eliberitani (e) in veteri foro pœnitentiæ, si mater, vel parens, vel quilibet fidelis lenocinium exercisset, nec in fine vitæ communionem, id est, reconciliationem, merebatur. Hodie de crimine lenocinii, ubi quis

(a) Const. Carol. art. 120. (b) Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 8.  
(c) De Lenocin. (d) Const. Crim. Carol. art. 120. (e) Conc. Elib. esp. 12.

quis est Leno uxoris suæ, uterque Judex cognoscit, secundum qualitatem suæ jurisdictionis; utpote ecclesiasticus in ordine ad censuras, & pœnitentias: civilis in ordine ad supplicium, exilium &c.

39 Ex sententia Jurisconsulti adulterium in nupta admittitur: stuprum (a) in vidua, vel virgine, vel puero committitur. *L. 38. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adult.* De Jure civili simplicis stupri pœna est in honestis personis publicatio dimidiæ partis bonorum; in humilioribus coercitio corporis cum relegatione. *§. 4. Inst. de Publ. Judic.*

40 In veteri foro pœnitentiæ Concilium Eliberitanum (b) corruptas virgines, si suis defloratoribus nupsissent, ad annalem pœnitentiam, aut, si aliis nupsissent, ad quinquennalem pœnitentiam ablegavit. Stupratores puerorum etiam in fine vitæ à communione exclusit.

41 Inter Canones à S. Carolo collectos habetur: *Siquis adolescens cum virgine peccaverit, pœnitentiam agat annum unum—Item Vidua, quæ stuprum admiserit, pœnitentiam agat annum totum, & præterea in anno altero dies jejuniorum.*

42 Jure Decretalium siquis virginem stupro decepit, adigitur, ut vitiatam ducat, aut, si renuendum putaverit, castigatus, excommunicatusque in Monasterium ad agendam pœnitentiam detrudatur. *c. 2. de Adult. & Stupr.* Inde nostris moribus ex simplici stupro scœmina, agit civiliter, ut stuprator eam aut ducat, aut dotet, prolique ad certos annos de alimentis provideat. Placuit hanc sententiam ab exemplo veteris legis petere, ita tamen, ut libertati stupratoris relinquatur eligere, an ducere, an dotare velit seductam? Quippe consuetudo passim obligationem alternativam substituit. *c. 1. ibi.* Aliquando tamen utrique pœna carceris, aut mulctæ superadditur.

43 Merito pœna aggravatur, si circumstantiæ commissi stupri peculiarem malitiam prodant. Sic de consuetudine videtur pœna mortis illi imminere, qui puellam præ ætate impotentem oppressit. Ex jure scripto gravius punitur Tutor, qui suam pupillam corrupit. *L. un. C. siquis eam, cui tut. fuit corrupt.* Hoc exemplo referunt & Custodem, qui Conventuariensem, quamvis consentientem, vitaverit, supplicio esse dignum. Quidni & Ludimagistri, & Directores, Præceptoresque alii, qui pueris, puellisque suæ curæ concreditibus abutuntur, acerbius percellantur? His procul dubio execrabilius est scelus Sacerdotum, qui in Confessionali vel occasione

Rr 2

con-

(a) De Stupr. (b) C. 14. cap. 71.